INDEX
SCHOLARVM
IN
ACADEMIA ROSTOCHIENSI
SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCXCII

AB DIE XVI M. APRILIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABENDARVM

COMMENTATIONEM DE THRASYMACHO CHALCEDONIO

PRAEMISIT

EDVARDVS SCHWARTZ

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS

Colloqui uobiscum, commilitones humanissimi, sollemni ad scholas inuitandi occasione quintum oblata in mente habeo de sophista quodam saeculi quinti quem recentiores uiri docti paene omnes paullo iniustius et neglegentius tractauerunt, Aristoteles et Theophrastus in artis rhetoricae doctrina summis laudibus extulerunt, Wilamowitzius nuper inter eos numerandum esse qui eloquentiam Atticam condidissent, felici audacia coniecit: de Thrasymacho Chalcedonio. testimonia locosque scriptorum qua solet industria prudentiaque collegit Fridericus Blass (Gesch. d. att. Beredsamk. I[2] 244 sq.): hoc loco id agam ut et hominis ipsius et doctrinae artisque quam plenissimam circumscribam imaginem. quae si componi non potuerit nisi ita ut certis incerta admisceantur, uos ipsos aliter apud nos philologos rem agi posse negaturos esse spero.

Gorgiam Leontinum a. 427 doctrinam suam Athenis diuulgasse constat, qua neque esse quicquam neque si esset cognosci posse neque si cognosci posset, communicari posse Eleaticorum philosophorum rationibus adhibitis docuit neque ullum studium uel scientiam humano ingenio proponendam esse contendit praeter artem persuadendi; eam uero non in rerum summa incertitudine esse positam, sed in ipsius orationis illecebris quibus mens humana magica quadam incantatione in quae uellet suadelae artifex non aliter perduci posset quam a poetis per elocutionis nitorem uersuumque modulationem iusta quadam fraude in summam delectationem pelliceretur. praeter hanc sui ipsius propriam doctrinam Gorgias artem quandam rhetoricam ipso uetustiorem Athenas comportasse uidetur, librum dico illum quem adscripsere Tisiae Plato iuuenis, etsi non sine dubitatione [Phaedr. 273 c], et Aristoteles in Artium corpore [Cic. de inu. 2, 6 et Brut. 46, ubi uerba quoque de *eloquentia pacis otiique socia* Aristotelem [metaphys. p. 981 b 17 sq.] sapiunt] et in Topicis [I 34 p. 183 b 31], postea uero nescio qua de causa Coraci [rhet. B 24 p. 140 1 b 17], ortum esse in Sicilia constat. quo libro exempla proposita erant earum argumentationum quae probabiliter ex iisdem rebus in utramque partem sumi possent [εἰκότα]. Zenonem Eleatem hanc uaferrimam artem praeparasse rectissime Plato [Phaedr. 261 d] posuit, cum de eadem re contraria praedicari doceret, cuius rei praeclara exempla celeberrimi ipsius Zenonis paralogismi uel nunc extant. ceterum primus, ne hoc praeteream, Empedocles Agrigentinus artem dialecticam in eloquentiam, quae post tyrannos a populis Syracusano et Agrigentino expulsos florere coepit [Aristot. ap. Cic. Brut. 46 cf. Diog. Laert. 8, 63], transtulit Pythagoreos, uiros uitae publicae deditos, in hac quoque re secutus, siquid ex uerbis obscuris Heracliti et Timaei quae extant in schol.

Eur. Hec. 131 et apud Philodemum [uol. Herc. III col. 63 cf. Diels, Archiv f. Gesch. d. Philos. III 454], concludere licet. nam Hermannus Diels quamuis sagaciter Gorgiam sicubi more saeculi illius φυσιόλογον agere uellet, haud pauca a uate Agrigentino mutuatum esse probauerit [Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1884 p. 343], errasse mihi uidetur cum elocutionis Gorgianae illecebras ad uersuum Empedocleorum elegantiam et nitorem reuocarit nimia fide Satyro homini nugacissimo [Diog. Laert. 8, 58] tributa, Aristotelisque ille locus longa aliter esse interpretandus quem ex Sophista [frg. 65] petitum optime Sextus [adu. log. 1, 6] seruauit Ἐμπεδοκλέα μὲν γὰρ ὁ Ἀριστοτέλης φησὶ πρῶτον ῥητορικὴν κεκινηκέναι ἧς ἀντίστροφον εἶναι τὴν διαλεκτικήν . . . πάλιν Ζήνωνα διαλεκτικῆς ἀρχηγὸν ὑπείληφεν. Gorgiana enim orationis artificia ad elocutionem pertinent, quam artis magis poeticae quam oratoriae propriam esse Aristoteles uoluit, certe ab hac separauit, oratoriae autem artis quasi animam esse probationem per syllogismum rhetoricum ex arte dialectica deriuatum instituendam pronuntiauit, Platonis Phaedrum ut solet secutus. „mouisse“ igitur artem oratoriam ex Aristotelis sententia nemo potuit nisi is qui primus argumentationem dialecticam ita excoleret ut apta oratori fieret: hoc meritum Empedocli uindicauit nescio qua fama — nam orationes Empedoclis non extabant — perductus, hac de causa eum cum Zenone coniunxit. ut ad rem redeam, librum siue Tisiae siue Coracis siue alius cuiusdam ante Gorgiae aduentum Athenis non notum fuisse non tam ex Pausaniae concluserim narratione qua Tisiam simul cum Gorgia Athenas uenisse tradit [VI 17, 8], sed inde quod Euripides uocabuli εἰκός usum rhetoricum non magis nouit uel nouisse noluit [cf. Thomas Miller, Euripides rhetoricus diss. Gotting. p. 32] quam artificia Gorgiae propria, quamquam argumentationibus acutis, orationibus accurate dispositis et prooemia epilogosque habentibus, ipso sermone uitae accommodato artis oratoriae peritissimum, nisi mecum summum exemplar dicere mauultis, in Alcestide Medea Hippolyto non minus quam in ceteris fabulis se praestitit. extabat igitur uel ante bellum Peloponnesiacum Athenis ars quaedam eloquentiae adeo magnifice exculta ut Euripides cum quinquagesimo fere eius anno Gorgias ueniret, eius artem nouiciam prae antiqua illa prorsus sperneret.

Vnum certe artis dicendi magistrum Atheniensibus ante a. 427 notum fuisse constat, Thrasymachum Chalcedonium: alioquin ab Aristophane in Daetalensibus [frg. 198] commemoratus non fuisset. quorum uero in usum homo Chalcedonius ex urbe Atheniensium socia oriundus artem dicendi excoluisse putari potest nisi in Atheniensium quorum in republica sola tum in ipsa Graecia eloquentia florere et poterat et debebat? neque uero iuuenes ambitiosi Athenienses Dorice uel Ionice dicere uolebant doceri sed Attice neque Thrasymachus ut olim Protagoras in argumentis disputandi inueniendis acquieuit, sed ipsam eloquentiam emendandam sibi sumpsit. denique post a. 411 eum Attice scripsisse constat: num putatis eum unquam alii sermoni operam dedisse? fuit igitur ante Gorgiam qui sermonem Atticum artis legibus subiceret.

Scripsit Thrasymachus Suida teste Συμβουλευτικούς Τέχνην ῥητορικήν Παίγνια Ἀφορμὰς ῥητορικάς. duas orationes publicas alteram in Larissaeorum usum contra Archelaum scriptam, alteram in usum iuuenis nescitur cuius Atheniensis qui ciues monebat ne de πατρίαι πολιτείαι rixantes patriam perderent, extitisse auctores sunt scriptor ille de furtis scriptorum antiquorum quem Clemens in Stromateon libro VI [16 p. 746 P.] compilauit et Dionysius in libro de Oratoribus antiquis [de adm. ui dic. in Dem. 3

p. 959]. qui quod in eodem libro [de Isae. 20 p. 627] scripsisse fertur πᾶς ἐστιν ἐν τοῖς τεχνογραφικοῖς καὶ ἐπιδεικτικοῖς· δικανικοὺς δὲ ἢ συμβουλευτικοὺς οὐκ ἀπολέλοιπε λόγους, hoc tolerandum esse Blassius [p. 250] recte negauit, sed malim ἢ συμβουλευτικοὺς delere quam οὐκ in ὀλίγους uel οὐ πολλοὺς uel οὐ πάνυ mutare. de ceteris intricatius iudicium est. Παίγνια exempla esse demonstratiui orationum generis et in Dionysii ἐπιδεικτικοῖς latere ex Gorgiae Helena quod auctor ipse παίγνιον in fine appellauit, discitur. Ἀφορμαί. de quibus Wilamowitzius [Eur. Herc. II 99] praeclare disputauit, ii sunt loci unde orator largam dicendi copiam sumere possit. iam quos Plutarchus una cum Aristotelis Topicis — de Γ 1—3 eum cogitasse Blassius uidit — commemorat Ὑπερβάλλοντας loco illo Disputationum conuiualium [I 2 p. 616 d] quo dicit δεῖ καθάπερ ὑπόθεσιν μελετῶντα συγκριτικὴν τοὺς Ἀριστοτέλους Τόπους ἢ τοὺς Θρασυμάχου Ὑπερβάλλοντας ἔχειν προχείρους, ii in uocabuli Ἀφορμῶν notionem locis Aristotelicis simillimam tam bene quadrant ut a Plutarcho aut partem totius operis ita appellatam esse ponendum sit aut, quod magis placet, eidem libro a grammaticis duos titulos praefixos esse alterum simplicem alterum speciosiorem. quid comparationes istae in concionibus ualuerint, facile discetis e. g. ex Aristotelis uerbis [rhet. A 7 p. 1363 b 5] ἐπεὶ δὲ πολλάκις ὁμολογοῦντες ἄμφω συμφέρειν περὶ τοῦ μᾶλλον ἀμφισβητοῦσιν. ἐφεξῆς ἂν εἴη λεκτέον περὶ τοῦ μείζονος ἀγαθοῦ καὶ τοῦ μᾶλλον συμφέροντος. comparationis uero orationi iudiciariae aptae et imprimis ei parti quam δικαιολογίαν rhetores nominare solent, exempla praeclara Antipho praebet in oratione I [21]: σκέψασθε οὖν ὅσωι δικαιότερα δεήσομαι ὑμῶν ἐγὼ ἢ ὁ ἀδελφός et VI [16] ἐξ αὐτῶν δὲ τούτων χρὴ σκοπεῖν ἅ τε οὗτοι διωμόσαντο καὶ ἃ ἐγώ, πότεροι ἀληθέστερα καὶ εὐορκότερα. deinde Ἔλεοι afferuntur ab Aristotele [rhet. Γ 1 p. 1404 a 15, omnia confudit Quintilianus III 3, 1 sq.], Προοίμια ab Athenaeo X 416 a; ipsius Artis testimonium praeter Suidam extat nullum, sed Μεγάλης Τέχνης mentio fit in scholio Aristoph. Au. 880. Miserationes exempla fuisse epilogorum sicut prooemia prooemiorum demonstratione non eget, sed graue est quod Blassius ex Aristotelis uerbis quibus Thrasymachum in epilogorum libro de actione [cf. rhet. B 8 p. 1386 a 29] pauca dixisse testatur, optime concludit Thrasymachum exemplis praecepta ipsius artis adiunxisse. cuius rei non minus certum testimonium Athenaei locus est, quia quae in historia illa latet laus exercitationis, melius certe in doctrinae explicationem sane populari captu accommodatam quam in orationis exemplum quadrat. quid igitur ueri est similius quam Epilogos et Prooemia partes fuisse Artis i. e. orationum uel orationis partium in exemplar compositarum corporis? Magnam vero Artem commode referatis ad editionem quandam qua Lusus et Loci cum Arte in unum uolumen coniuncti erant.

Qua ratione Thrasymachus in arte rem egerit, quid novi in eloquentiam induxerit, luculenter Plato in illa eloquentiae Atticae historia exposuit quam Phaedro inserere feliciter uoluit; audiatis quam lepide grande sonantibus uerbis sicut poeta comicus usus illum descripserit [267 c]: τῶν γε μὴν οἰκτρογόων ἐπὶ γῆρας καὶ πενίαν ἑλκομένων λόγων κεκρατηκέναι τέχνην μοι φαίνεται τὸ τοῦ Χαλκηδονίου σθένος ὀργίσαι τε αὖ πολλοὺς ἅμα δεινὸς ἀνὴρ γέγονεν καὶ πάλιν ὠργισμένοις ἐπάιδων κηλεῖν, ὡς ἔφη, διαβάλλειν τε καὶ ἀπολύσασθαι διαβολὰς ὁθενδὴ κράτιστος. τέχνην pro tradita lectione τέχνηι restitui: neque enim Thrasymachus arte miserationes uicisse dici poterat, sed artem misericordiae commouendae occupasse. Thrasymachum ut artem epilogos componendi doceret, non modo miserationes sed etiam iras ut ita dicam proposuisse non mirum, hoc vero notabile Euripidem quoque in uita publica arte et misericordiam et iram populi prudenter tractandi carere non posse docere [Or. 702]: ἔνεστι δ' οἶκτος, ἔνι δὲ καὶ θυμὸς μέγας. καραδοκοῦντι κτῆμα τιμιώτατον.

calumnias autem et calumniarum defensiones ad prooemia pertinere et Anaximenes [p. 55, 8 sq. 68, 3 sq. 73, 1 sq.] et Aristoteles [rhet. Γ 15 p. 1416 a 4] docent. huc referendum esse Cratini frg. 185 Blassius perspexit; idem iudicare debebat de Aristophanis loco Daetalensium [frg. 198], ubi calumniandi causa iuuenis senem interrogat τί δ' ὑποτεκμαίρῃ καὶ κακῶς ἄνδρας λέγεις καλοκἀγαθεῖν ἀσκοῦντας; ille hoc artificium ad Thrasymachum reuocat οἴμ' ὦ Θρασύμαχε, τίς τοῦτο τῶν ξυνηγόρων τερθρεύεται. praeterea oratores Euripidei acutissime in prooemiis contra inuidiam se defendere uel inuidiam contra aduersarium commouere solent e. g. Hippolytus [983 sq.] uel Hecuba [1187 sq.] uel, quod luculentissimum fortasse exemplum est, Orestes in oratione contra Tyndareum [544]:

ὦ γέρον, ἐγώ τοι πρὸς σὲ δειμαίνω λέγειν
ὅπου γε μέλλω σήν τι λυπήσειν φρένα.
ἐγὦιδ' [G. Hermann, ἐγὼ δ' codd.]· ἀνόσιός εἰμι μητέρα κτανών,
ὅσιος δέ γ' ἕτερον ὄνομα τιμωρῶν πατρί.
ἀπελθέτω δὴ τοῖς λόγοισιν ἐκποδὼν
τὸ γῆρας ἡμῖν τὸ σόν, ὅ μ' ἐκπλήσσει λόγου
καὶ καθ' ὁδὸν εἶμι· νῦν δὲ σὴν ταρβῶ τρίχα.

postquam a Tyndareo omni fere excusatione priuatus est cum ille Clytaemnestrae accusationem ipse occupasset sed aliter eam puniendam fuisse exposuisset, se pietate non carere demonstrare debebat. at non satis erat ad patris manes prouocare, obstabat enim Tyndarei et patris et senis miseranda imago, praeterea hoc argumentum ualidissimum ipsi orationi erat reseruandum. iam callidissime ipse ad aduersarii senectutis uerecundiam confugit ut inuidiam aliquo modo minuat, et insuper culpam fatetur, quod semper uituperationem mitigat. tum breuiter patrem commemorat ut se Tyndareum uereri non posse excuset, sed caute addit hanc uerecundiam ex animo suo nondum euanuisse. longior fui in poetae arte exponenda ne uersus inter se commutandos esse editoribus credatis. ut ad rem redeam, ex multis iis quae de Euripidis prooemiis dici possunt neque a Thoma Miller [p. 47 sq.] dicta sunt cum nimis breuiter rem perstringeret, hoc unum adnoto, mirum quendam consensum inueniri inter excusationem Iocastae Phoenissarum [528]

ὦ τέκνον, οὐχ ἅπαντα τῶι γήραι κακά,
'Ετεόκλεες, πάρεστιν· ἀλλ' ἡμπειρία
ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον

et Anaximenis praeceptum [p. 58, 4] γέροντι προφασιστέον λέγοντι . . ἐκ τῆς εὐπορίας αὐτοῦ.

Hoc ex Platonis descriptione apparet Thrasymachum primum intellexisse quantum affectus in eloquentia ualeat. nemini vero tam utiles sunt quam ei qui ad populum, ad multitudinem loquitur; paucis et peritis siquis per affectus persuadere uoluerit, periculum subibit ne uel suspiciones uel risus moueat. longe aliter res agenda est concionatori: mouendi sunt animi, non docendi; siue concitat siue mitigat siue lacrimas siue fremitus elicit, rigida quaedam animi intentio est prae se ferenda et species serietatis miserias turpitudines inuidias, quae orationum capita sunt, placide ferre indignantis longeque remotae a tranquilla optimatium et doctorum urbanitate. optime in eiusmodi hominem uel eiusmodi hominum magistrum Platonis altera illa quadrat in Ciuitatis libro primo descriptio qua Thrasymachum trucem minimeque urbanum pinxit, leporum Socraticorum impatientem et ita cum illo agentem quasi aduersarius esset in foro profligandus. nolite tamen Platonis irrisione

decipi ut Thrasymachum iniuste despiciatis. certe eius doctrina de affectuum ui et usu multo propius aberat a uerae eloquentiae natura quam Gorgiae calamistri et argutiae, quae nisi paucorum auribus delicatis placere non potuerunt atque, ut de aliis taceam, Antiphontis indolem, qua eloquentiae aptiorem Athenae meo quidem iudicio non protulerunt, adeo debilitarunt ut uera uis hominis infeliciter ingeniosi a plurimis neque sentiretur neque sentiatur. deinde Gorgias quamuis elegantem et cultum eum fuisse cum ex Platonis dialogo cognomine appareat tum ex amicitia cum Agathone et fortasse cum ipso Platone iuuene, hominibus delicatissimis, contracta, cum elocutionem ornamentis ex poetarum thesauro depromptis instruxit, multo minus quid aptum et decorum esset perspexit quam Chalcedonius ille inelegans et ferox. is certe aliud esse poetae officium, aliud oratoris intellexit neque poetarum instrumentis uti uoluit nisi mutatis suisque factis. non dubito quin ex metris poeticis nomen periodi ueramque pausarum aestimationem acceperit, quin poetarum sermone obseruato elocutionem supra modum volgarem et cottidianum escendere debere didicerit: sed periodi mensuram clausulasque rhythmi specie distinctas et elocutionem cottidianae et similem et dissimilem ita instruxit ut origo poetica non sentiretur, sentiretur delectatio eius similis quam poetae efficiunt. haec omnia primus num perficere potuit sine sensu quodam pulcri et apti naturali? certe natus erat dicendi artifex.

Quae huc usque exposui, facili opera ex ipsis scriptorum testimoniis petii incerta proferre non coactus nisi in minutiis. iam in pelagus coniecturarum euagandum erit. qua de causa, quaeretis; cur non acquiescis in illis, artis nesciendi ceteroquin uel pertinax assecla? quod ea res relicta est qua non perspecta uel certe in umbram quandam notititiae adacta artis oratoriae Graecorum incunabula et progressus in obscuro manebunt: uidimus quis εἰκός induxerit quis πάθη, uidimus quid sermo profecerit, iudicium praesto est et de rebus et de dictione, at ne tetigimus quidem artis non minimam partem, dispositionem. quam credere non licet a Thrasymacho Gorgia ceteris qui fuere ante Theodorum, de quo Plato certa et grauissima tradit [Phaedr. 266 e], ita esse neglectam ut Senecae similes sententiarum splendores nectere satis habuerint, maxime Thrasymachum ne in hac quidem re sensu suo apti et pulcri destitutum fuisse procliuis coniectura est. periculum igitur faciendum est ut ex his tenebris euadamus neque spes abicienda nisi omnia expertis, quoniam non maior culpa est uana conati quam nihil.

Rem lubricam et incerti euentus incepturi circumspiciamus an aliquid inueniatur si non fundamentum inquisitionis, fundamenti tamen simile. nihil fere sperari potest in orationis genere deliberatiuo: unica huius eloquentiae Atticae saeculi quinti exempla extant Thucydidis orationes, ingenii fetus abstrusa quaerentis et praeceptorum quorumuis impatientis, et ῥήσεις Euripidis, poetae sane eius qui oratorem saepe induerit et ita quidem ut eum praeter Antiphontem summum oratorem Atticum dicere non dubitem, poetae tamen aliud in scaena aliud in foro agi non obliti. acquiescendum igitur erit in oratione iudiciaria. quae qua ratione instituta fuerit, antiquissimum exemplum est Gorgiae Palamedes. neque enim quicquam ad hanc quaestionem quam in manibus habemus pertinet scire antecesseritne aetate illa declamatio omnes Antiphontis quae seruatae sunt orationes et declamationes necne, quoniam pro fido praeceptorum et doctrinae Gorgiae exemplo habenda est, illa uero quin Antiphonte uetustiora fuerint dubitari nequit. iam haec declamatio non modo

in partes accurate disposita est, sed etiam, quod non mirum in declamatione in usum discipulorum conscripta, hae partes talibus et initiis et clausulis instructae sunt ut uel proprium cuiusque partis nomen agnosceretur. prooemium et partitio [1—5] facile distinguuntur; quae sequi debebat, narratio omissa est in exemplo omnibus noto, inducitur probatio [6—21], cuius duas partes maiores pluresque minores simili gradatione Gorgias distinxit [cf. initia 7. 8. 11. 13] quam in celeberrima illa argumentatione adhibuit qua neque esse quicquam neque si esset cognosci posse neque si cognosci posset, communicari docuit. notabile uero est nouae partis initium § 22 βούλομαι δὲ μετὰ ταῦτα πρὸς τὸν κατήγορον διαλεχθῆναι. huius partis clausula extat § 27 πρὸς μὲν οὖν σὲ ταῦτα, sed subdiuisam eam esse ex praeteritione illa apparet quae inest § 27 ἀντικατηγορῆσαι δέ σου πολλὰ . . . δυνάμενος οὐ βούλομαι. omissa est haec pars, ni fallor, ne turbetur grauitas uiri iusti iniuste damnati, cuius grauitatis Palamedes legitimum exemplum erat, unicumque hoc apud Gorgiam uestigium ἠθοποιίας bene uelim animaduertatis. sed omissio tam aperte, ne dicam dure, non pronuntiata esset nisi discipulis locus ἀντικατηγορίας iustus ac legitimus monstrandus fuerat. totam uero partem eam esse apparet quam et Anaximenes [76, 16. 82, 4] et Aristoteles [rhet. Γ 13 p. 1414 b 9. 17 p. 1418 b 5] τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον appellant et hic appendicem probationis esse definit, ille post probationem pro parte singulari ponendam esse docet. quod addit illic ab accusatore argumenta rei occupanda esse, a reo occupationes accusatoris refutendas, concinit cum eis quae Aristoteles dicit τὰ μὲν λῦσαι ἐνστάσει τὰ δὲ συλλογισμῷ, non concinit uel potius non accurate concinit cum Gorgiae exemplari. neque enim Palamedes id agit ut quae Vlixes protulit refutet, sed ut accurationis rationem in despectu ponat illudat debilitet [cf. 22 ἄξιον καταμαθεῖν οἷος ὢν οἷα λέγεις ὡς ἀνάξιος ἀναξίῳ]: illum sine testibus accusasse et quae inter se contraria sint. neque tamen deest occupationis quamuis leue uestigium [23]: φήσεις ἴσως ἴσον εἶναι τὸ σέ τε τῶν γενομένων, ὡς σὺ φής, μὴ παρέχεσθαι μάρτυρας τῶν τε μὴ γενομένων ἐμέ. praeterea multo uiuidior fit oratio, iam reus non probat sed rixatur, crebrae pullulant interrogationes acres et oratoriae ut non sine causa Anaximenem huius partis expositioni praecepta quaedam de interrogando et respondendo [81, 16] adiunxisse eluceat. denique insigni gradatione ex reo fit accusator primo accusationis ipsius, tum totius hominis in ἀντικατηγορίαι. finem orationis facit allocutio iudicum et de se ipso [28]: πρὸς δ' ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες κριταί, περὶ ἐμαυτοῦ βούλομαι εἰπεῖν et de iudicum officio [33]: λοιπὸς δὲ περὶ ὑμῶν πρὸς ὑμᾶς ἐστί μοι λόγος, ὃν εἰπὼν παύσομαι τῆς ἀπολογίας. ultimus locus datur recapitulationi, ὑπομνήσει, non sine callida iudicum captatione [37].

Nacti igitur sumus certam quandam formulam partium legitimarum orationis in iudicio a reo habendae ita constitutam: προοίμιον, ⟨διήγησιν⟩, ἀπόδειξιν, τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον cum ἀντικατηγορίαι, τὰ πρὸς τοὺς δικαστὰς περὶ ἑαυτοῦ et περὶ αὐτῶν, ὑπόμνησιν. hanc formulam inueneritne Gorgias an ab alio inuentam receperit, quaerere nunc differo, sed circumspiciendum esse duxi num accuratiora sciri possint cum de formula actori destinata tum de ea parte in qua huius formulae proprietas conclusa est fere tota, de colloquio cum aduersario. ut hoc loco ubi in saeculum quartum descendere non uacat, breuiter comprehendam quae longa opera olim eruisse mihi uideor, Lysias etsi uestigia antiquae partitionis seruauit, libere res disponere et partes inter se miscere coepit, Isaeus uero omnia uariis nodis uinculisque inter se conectere ac uincire solet nulla partium certa distinctione, uterque astute nouandi studiosiores quam praeceptorum antiquorum artisque seuerae capaciores. de Isocrate et Demosthene multis

uerbis opus est in re et per se intricata et propter corporis orationum Demosthenicarum singularem naturam periculosissima: sed unus extat formulae illius seuerus obseruator, Antipho Rhamnusius, si tetralogias excipis inuentioni tantum argumentorum sermonisque sublimitati excolendae destinatas. de quo iam plura dicam.

Initium facio ex orationibus sexta et prima quarum argumenta uel per se uel uirorum doctorum merito fere perspicua sunt. in illa causa agitur a sycophanta quodam Atheniensi caedis incruentae inuoluntariae apud iudices ad Palladium reo quod cum pro tribubus et sua. Erechtheide, et Cecropide illi adiuncta choragus certaminis musici puerorum in Thargeliis inducendi constitutus esset. unus ex pueris certamini destinatis postquam in domo choragi exercitii causa moratus remedium siue ualetudinis gratia siue ad uocem emendandam siue alia qua de causa accepit, mortem obiit. quaestio non facti est, sed iuris; quod enim reus se neque puero remedium dedisse neque dari iussisse neque dando adfuisse non sine magno strepitu contendit, nihil ad rem facit, sed quaeritur primo num choragiae lex quaedam fuerit ut quicquid choreutis, dum apud choragum exercitii causa essent, accidisset, id choragi periculo fieret, deinde num qui curam rei alicuius aliis mandauerit, id quod fecit ille choragus [12. 13], se ipsum periculo liberare potuerit. quae controuersia qua ratione in iure Attico tractari solita sit, nescitur. utut tamen haec se habent, choragum re uera non ut caedes expiaretur, in iudicium uocatum esse constat, sed ut cum molestissimum sycophantam se egisset [cf. 8—10], poenae legitimae damnatus exilio solum uertere ita cogeretur ut redire ei non liceret nisi ab adfinibus mortui, qui et ipsi eius uexationibus obnoxii erant, permissu impetrato. ille enim primo Aristionem Philinum Ampelinum thesmothetarum scribam peculatus causa ad senatum detulerat, res a senatu iudicio tradita erat, dies constitutae in finem mensis Munichionis. cum quarto die ante priorem iudicii diem puer mortuus esset, pridie frater eius Philocrates reorum amicus thesmothetis coram iudicio ne testes deessent, nuntiauit se illum, qui postridie contra Philinum et socios causam acturus esset, caedis esse accusaturum, iudicium igitur conuocari non posse quod actori caedis reo cum populo agere non liceret. sycophanta primo προκλήσει se defendit, quam ut uanam et inutilem suo iure Philocrates reiecit. idem factum est ipso iudicii die, sed cum Philocrates ut propositum exsequeretur, libellum regi dedisset et remissus esset in annum sequentem, nihil iam obstabat quin iudicium conuocaretur, et res contra Philinum et socios feliciter peracta est. Philocrates, nisi sycophanta mentitur, se nihil iam contra illum acturum coram testibus promisit. nouae tamen a sycophanta uexationes instabant anno insequente, cum sorte senator factus esset eiusque tribus primam prytaniam accepisset: statim enim post anni initium uarios magistratus in senatu in peculatus suspicionem uocauit. iterum Philocrates sub finem prytaniae mense Metagitnione eum caedis inuoluntariae apud regem accusauit; actione recepta sycophanta cum ceteris locis publicis prohibitus est tum ex senatu eiectus, actio contra magistratus illos suspensa [50]. iudicium ad Palladium conuocatum est mense Maemacterione, sycophantae reo Antipho orationem scripsit, cui actori idem officium praestiterat contra Philinum.

Oratio ipsa ita diuisa est. in prooemio [1—6] reus se nullius mali conscium sibi esse affirmat, deinde monet ut ex legibus optimis et sanctissimis actorum criminationes iuste aestimentur, denique iudicibus grauitatem causae in mentem reuocat. neque uero precatur uel captat, sed truci quadam fiducia imponit iudicibus.

tum antequam rem narrat, debilitat aduersarios [7—10] uituperans quod extra rem locuti ea quae in re publica gesserit geratque, in crimen uerterint. similis est haec pars ei quod apud Gorgiam inuenimus colloquio cum aduersario, sed alio loco posita. sequitur narratio breuissima [11—13] ex Antiphontis more nihil hoc loco proferre soliti nisi opportuna uel certe non nocitura; choragiam ita fuisse institutam ut omnia bene curarentur, ipse tamen adesse non posset, fallenti diligentia reus narrat, de morte tacet. narratione praeclare praeparata et fundata probatio est, de qua supra egi: ne hic quidem reus argumentis caute et summisse prolatis id agit ut iudicibus persuadeat, sed dum ea probat quae uel ab aduersariis non negantur uel ipsam rem non tangunt, summa utitur confidentia quasi ne dubitare quidem de aduersariorum mendaciis liceat, cf. § 14 et 19 ὅπου δὲ πρῶτον μὲν αὐτοὶ οἱ κατήγοροι ὁμολογοῦσι μὴ ἐκ προνοίας μηδ' ἐκ παρασκευῆς γενέσθαι τὸν θάνατον τῶι παιδί, ἔπειτα τὰ πραχθέντα φανερῶς ἅπαντα πραχθῆναι καὶ ἐναντίον μαρτύρων πολλῶν . ., ἐξ ὧνπερ καὶ εἴ τίς τι ἠδίκηκε φανερώτατος ἂν εἴη, [καὶ] εἴ τις ἀδικοῦντα αἰτιῶιτο, μάλιστα ἐξελεγχέτω [ἐξελέγχοιτο cod.], monet scilicet actores ut ex ipsis iis quibus crimen apertum fiat, probent criminationes neue uanas suspiciones spargant. deinde in noua parte πρόκλησιν illam quam aduersarii non receperunt, enarrat et se testimoniis certis uti uoluisse usumque esse demonstrat, actores cum criminationes probare noluerint, ipsos se mentiri testatos esse. et tota huius partis ratio accusationem aggrediendi et ipsa uerba in initio posita [20] ἄξιον δ' ἐνθυμηθῆναι ὦ ἄνδρες ἀμφότερα καὶ τῆς γνώμης τῶν ἀντιδίκων καὶ οἵωι τρόπωι ἔρχονται ἐπὶ τὰ πράγματα. ἐξ ἀρχῆς γὰρ οὐδὲν ὁμοίως οὗτοί τε πρὸς ἐμὲ πράττουσι καὶ ἐγὼ πρὸς τούτους adeo cum ea Palamedis parte quae contra aduersarium est, et cum illius initio [22] quo et ipso reus se cum actore comparat τίνι ποτὲ πιστεύσας τοιοῦτος ὢν τοιούτου κατηγορεῖς, concinunt ut eadem haec pars apud Antiphontem extare probetur, eo tamen discrimine ut colloquium cum aduersario non instituatur. quae apud Gorgiam adnexa est ἀντικατηγορία, ea apud Antiphontem haud multo post incipit [33] ἀποδείξω ὑμῖν τοὺς κατηγόρους τούτους ἐπιορκοτάτους ὄντας καὶ ἀσεβεστάτους ἀνθρώπων, ne excusatione quidem omissa ἡγοῦμαι μὲν οὖν καὶ ἐκ τῶν εἰρημένων καὶ ἀποδεδειγμένων ὦ ἄνδρες δικαίως ἄν μου ἀποψηφίσασθαι ὑμᾶς . . . ἵνα δ' ἔτι καὶ ἄμεινον μάθητε, τούτου ἕνεκα πλείω λέξω. hic uero sycophanta missis habenis in campos sibi notissimos inuectionum et criminationum excurrit. unum addo artis Antiphonteae proprium, earum narrationum, quae et huic parti et ei quae antecedit, insunt, callida distributione ex re continua et una criminum multitudinem existere. πρόκλησις illa nude narratur 21—24, dolose aduersarios in eadem re egisse additur 34, prima accusatio et reconciliatio 35—40 exponuntur; probatione quadam intermissa narratio continuatur 44—46 adnexa exaggeratione [47. 48]; denique alterius accusationis consilium proditur ut ultima adflictatio qua res decernitur, in fine collocetur [49. 50]. neque plus addit ne uim accusationis debilitet, nisi breuissimam exaggerationem cum iudicum laude coniunctam, epilogum callidus sycophanta omittit cum ei qui multis in iudicium uocatis magnam inuidiam contraxerit, non magis facile esse sciat in aduersarios inuidiam conuertere quam de propria loqui periculosum sycophantamque non placere sentiat nisi sibi constantem osque ferreum seruantem, precantem uero atque se excusantem uel commendantem ludibrio et despectui esse.

Breuior esse possum in oratione prima cuius et argumentum et mores Wilamowitzius perspicue explicauit [Herm. XXII 194 sq.]. post prooemium et ante narrationem in hac quoque oratione, quae actori scripta est, extat pars quaedam contra aduersarium eamque rationem quam in causa agenda secutus est [5]: θαυμάζω δ' ἔγωγε

καὶ τοῦ ἀδελφοῦ ἥντινά ποτε γνώμην ἔχων ἀντίδικος καθέστηκε πρὸς ἐμὲ καὶ εἰ νομίζει τοῦτο εὐσέβειαν εἶναι τὸ τὴν μητέρα μὴ προδοῦναι. narratio excipitur uice probationis cui in hac causa locus non erat, δικαιολογίαι [21]: σκέψασθε οὖν ὅσωι δικαιότερα δεήσομαι ὑμῶν ἐγὼ ἢ ὁ ἀδελφός. secundum praeceptum ab Anaximene seruatum [p. 76, 12] ἐὰν ὁμολογῆται τὰ πράγματα, τὰς μὲν πίστεις ἐατέον, τῆι δὲ δικαιολογίαι . . χρηστέον. ceterum in orationis sextae quoque probatione eadem δικαιολογία testimoniis adiungitur [16]: ἐξ αὐτῶν δὲ τούτων χρὴ σκοπεῖν ἅ τε οὗτοι διωμόσαντο καὶ ἃ ἐγώ, πότερα ἀληθέστερα καὶ εὐορκότερα. sequitur ea pars qua rerum ordinem quodam modo turbari Wilamowitzius censuit, nos uero iuste ac legitime ea agi quae ex artis antiquae praeceptis post probationem agi debebant. τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον, sumemus ex ipso initio [28] θαυμάζω δὲ ἔγωγε τῆς τόλμης τοῦ ἀδελφοῦ καὶ τῆς διανοίας, τὸ διομόσασθαι ὑπὲρ τῆς μητρὸς εὖ εἰδέναι μὴ πεποιηκέναι τοῦτο. aduersarium postquam petiit, callidissime adiungit non probationem, cui locus non est in hac parte, sed probationis simile — Antiphontem hanc partem cum probatione cohaerere non ignarum fuisse documento sunt uerba ex sexta oratione [33], quae supra attuli — testimonium dico patris morientis, quo aduersarii defensionem occupari Wilamowitzius perspexit; occupationi uero etiam Anaximenes hanc partem destinauit. hoc testimonium graue et religiosum ne epilogo infringatur, nihil additur nisi sancti quo actor functus est officii significatio iudicumque breuissima admonitio non sine deorum aduocatione.

Iam satis praeparatos ad orationem quintam nos accessuros esse sperare licet. cuius argumentum cum fere totum in quaestione facti uersetur, molestissima existit necessitas in ueritatem earum rerum inquirendi quas causidicus ne potuit quidem ita narrare ut factae erant, aliunde tamen noscere non licet. quamuis longe absim ab illorum audacia qui talia ad amussim excuti posse gloriantur — minime uerum enim omnia quaerendo posse inuestigari —, haec tamen non sine aliqua similitudine ueri coniectura enucleasse mihi uideor. ciuis quidam Mytilenaeus, is ipse qui reus hanc orationem habuit, naue uectus est Aenum ut uiseret patrem qui illuc post Mytilenaeorum defectionem et oppressionem a. 427 migrauerat. socius itineris erat Herodes Atheniensis cum Thracibus et captiuis et liberis Aenum profectus ut captiuos Thracibus pro pecunia quam illi collegerant Aenumque comportauerant, in libertatem uenderet. tempestate coorta nauem loco cuidam terrae Methymnaeorum appulere et cum aliam nauem, quam nauta et seruus gubernabant, iidem loco appulsam inuenissent, in eam quippe quae coperta esset, ex ipsorum naue non coperta transcenderunt et cum nauta illo bibere coeperunt. Herodes cum de naue exiisset ut in propriam rediret, Mytilenaeus clam cum seruo nautae secutus eum lapide in caput coniecto percussit corpusque mortuum a seruo adiutus in propriam nauem transtulit ut cum in altum mare peruenisset, deiceret. hoc perpetrato uterque in alteram nauem redierunt. tam furtim totam rem gesserant ut nauta, qui fortasse ebrius obdormiuerat, nihil sentiret posteaque Mytilenaeum de naue non decessisse testis esset. postridie cum Herodes frustra conquisitus esset, Mytilenaeus naui propria profectus est epistula nautae seruo data quam Lycino perferret in Lesbi insulae oppido degenti in quod forte nauis illa iter destinauerat. nuntiabat autem epistula illa Mytilenaeus Lycino se mandatum eius exsecutum esse. at Herodis affines nauem illam retinuerunt nautamque cum seruo in carcer coniciendum curauerunt. primo falsis uestigiis decepti ne per tormentis quidem ex nauta seruoque quicquam extorserunt, deinde uero cum epistulam quam seruus in nauem absconderat, inuenissent, seruum fere omnia fateri coegerunt. cum ut sine uexatione poenae dare possent, a domino

emptum statim ad mortem egerunt, ni fallor iudicio priuato sed legitimo [cf. 6, 4]. Mytilenaeum aliquanto post, cum Athenas uenisset, ceperunt captumque undecimuiris maleficii reum certis indiciis [ἐπ' αὐτοφώρῳ] coargutum tradiderunt. hoc quoque iure factum esse inde probatur quod undecimuiri actionem receperunt; sed dubitari potest an ille tempore in ciuem Atheniensem tale quid licuerit.

Sed utut res gesta est, reum summo in periculo uersari facile apparet; nam et grauissimis indiciis urgetur et ut Mytilenaeus iudicibus Atticis ingratissimus erat. astutia opus erat quam maxima, sed fallenti et summissa: hi sunt mores orationis quintae a prima et sexta mirum quantum distantes. humiles preces funduntur in prooemio [1–7] ita institutae ut ex artificiis argumentationis suspicio non oriatur neque iudices ut iniuste liberent, rogari sibi uideantur. pergit reus [8]: πρῶτον μὲν οὖν ὡς παρανομώτατα καὶ βιαιότατα εἰς τόνδε τὸν ἀγῶνα καθέστηκα, τοῦτο ὑμᾶς διδάξω: ecce ea pars aduersario destinata quae apud Antiphontem narrationem antecedere solet. qua parte postquam se non ad undecimuiros sed in Areopagum ducendum fuisse exposuit [8—18], nouo prooemio interposito [19] quam breuissime res in itinere gestas narrat omnibus quae uel minimum nocere poterant anxie omissis. quidquid uero sagacitatis astutiae artis denique speciose fallendi ei erat, id omne Antipho in probationem contulit longam [25–63] et per varios flexus et ambages callide ductam. indicia enim ita diuisa discerpta disiecta sunt ut auditor nihil intellegere posset nisi ipsius oratoris argumentationes, contra testimonia uero undique afferuntur coniecturae quae ad rem ipsam nihil conferunt, speciem tamen diligentissimae demonstrationis praebent. serui illud indicium grauissimum reus proferre non audet antequam ratiocinationibus iudicum mentes captauit [25—28], ubi profert, neque totum profert [30] et ita ut et alterum nautae testimonium, quo liberatur, adiungat et quae seruus primo et in fine dixit, neque quid seruus confessus sit prodit nisi postquam aduersarios tormenta iniuste instituisse seruumque sui commodi causa necasse exposuit [39]; tum iterum omnia testimonia inter se comparauit. denique epistulam [53] commemorat et primo eam consentire cum serui testimonio negat, tum coniecturis ex diiunctione rationum petitis obruit. probationis finem esse paragrapho 64, initium epilogi paragrapho 85 dubitari nequit; interim reus quod de Herode nihil sciat exemplis similibus allatis excusat, patrem Atheniensibus non inimicum esse probat, innocentiae suae testimonium diuinum profert. quorum duo priora ad refutationem eorum pertinere quae actores extra ipsam probationem dixerint, in patris defensione per se ipsum clarum est, sed non minus certum est in eis quae antecedunt, propter clausulam probationi adnexam [64] ἀποδέδεικται. praeterea collata oratione prima [28 sq.] talia ab aduersariis dicta fuisse probabiliter conicitur: iniustitiam scelus mendacia rei inde quam clarissime conspici quod Herodem a se interfectum esse neget, quo abierit, dicere nequeat: tota denique ratio quam reus refutat, non probantis est, sed aduersarium petentis. testimonium uero diuinum ne id quidem ad probationem ipsam pertinens longeque ab illa separatum apte confertur cum mandato illo paterno orationis primae: ut breuis sim, his tribus argumentis pars ea constituitur quae aduersario destinata est. caute inducitur, defensionis speciem tenet, euitat inuectionis: loquitur enim Mytilenaeus et contra et apud Athenienses. epilogum longum et artificiis refertum nobis relinquo in partes secandum.

Haec igitur apparuerunt: Antiphontem ea dispositione orationis iudiciariae usum esse cuius exemplar est Gorgiae Palamedes, hoc tamen mutasse ut partem

aduersario destinatam similiorem probationi redderet quam colloquio et hanc ipsam partem in duas dirimeret quarum altera probationem antecederet altera sequeretur. quae igitur olim colloquio, rixae, affectibus denique seruiuerant, ea in probationis et praeparationem et appendicem transformauit, affectus uero non una parte coercuit sed per totam orationem alias aliter disposuit. quod epilogi partem quae de ipso oratore est, et repetitionem fere omisit, multo minoris momenti est.

Iam redeundum est ad illam quaestionem quam supra distulimus: Gorgiasne huius dispositionis primus auctor fuit an alius quis sophista Gorgia aetate superior? una est soluendi uia et ea satis lubrica: ῥήσεις Euripidis praeter quem nullus saeculi quinti auctor exstat qui et artis oratoriae peritus fuerit et arte Gorgiana intactus. nolite noui quid atque inauditi siue sperare siue suspicari, commilitones. neque enim is sum qui orationes Euripideas in unius normae regulaeque uincula ferrea crudeliter coniciam magistellos illos imitatus qui nugis Westphalianis pellecti Pindari carmina in nescio quid mysteriorum detorquent; scio Euripidis fertile et uber ingenium ne multis quidem modiis posse exhauriri, clauem quandam miraculosam inueniri posse despero qua summi poetae arcana facili opera plebiculae doctae indoctaeque aperiantur, sed hoc unum ago ut circumspiciam an hic uel illic in orationibus quas ex artis regula compositas esse poeta ipse dicit, uestigium non incertum extet illius dispositionis quam saeculo quinto in eloquentia Attica si non regnasse, certe in usu fuisse et Gorgias et Antipho testes sunt. neque id negotium suscepi nisi necessitate coactus et paene inuitus. sed ipsa exempla proponam quibus iudicetis num carbones pro thesauro inuenerim.

Certamen Medeae et Iasonis [Med. 465—575] pro artis oratoriae exemplari propositum esse et ex Medeae [473—475] et ex Iasonis [522] uerbis planum fit. prooemio rite praemisso [465—475] Medea sua merita Iasonisque iniuriam enarrat [476—491], quam periure ille secum egerit, exponit [492—498], tum pergit [499]: ἄγ᾽ ὡς φίλῳ γάρ ὄντι σοι κοινώσομαι. δοκοῦσα μὲν τί πρός γε σοῦ πράξειν καλῶς; ὅμως δ᾽ ἐρωτηθεὶς γὰρ αἰσχίων φανῇ. habetis iustum colloquii initium, interrogationes, accusationem acriter inuehentem: num temere τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον agnoscere mihi uideor? pro epilogo stat sententia [516—519]; nam desunt iudices quibus epilogus destinetur. Medeae furori calide ebullienti Iaso dolosam tranquillitatem oppositurus ut illam mentis non compotem esse demonstret, post prooemium [522—525] plurimam orationis partem refutatione occupat ita bipertita ut altera pars rursus bifariam diuidatur [526—533. 534—546], altera tria argumenta contineat [551—554. 555—558. 559—567]; clauduntur omnia superba interrogatione [567] μῶν βεβούλευμαι κακῶς; tum et Medeae et totius sexus lasciuiam increpat ut accusationem a Medea iniuste institutam esse appareat: οὐδ᾽ ἂν σὺ φαίης εἴ σε μὴ κνίζοι λέχος. nescio an in leuitatis suspicionem incurram cum etiam hic τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον cum ἀντικατηγορίαι distinguo, certe hoc obseruetis uelim eandem rem hic exponi quam Iaso supra tetigit [555] ne verbis quidem diuersis: scilicet in diuersis orationis partibus eadem redire possunt diuersis finibus destinata. epilogus Iasonis personae aptus non est quippe qui omni affectu se liberum conseruare uoluerit.

At Euripides haud raro ueras actiones iudiciarias in scaenam produxit: has num praeteriturus es? quaeretis. audio: sumamus Hippolytum. δίκη ἀμάρτυρος inter patrem filiumque agitur. de Thesei prooemio [936—942] poetico non oratorio taceo; narrationi locus non erat postquam in scaena omnia acta sunt, ne probationi quidem

cui Phaedrae epistula sufficit et haec in scaena [illegible]ta. postquam igitur narrationem et probationem breuiter significauit [943–945], Theseus colloquium cum filio instituit ad illum ipsum conuersus: δεῖξον δ', ἐπειδή γ' εἰς μίασμ' ἐλήλυθα, τὸ σὸν πρόσωπον δεῦρ' ἐναντίον πατρί [946. 7], filii mores uitaeque institutionem increpat, quaecunque dicturus est, occupat, denique testimonium affert non legitimum et probandi causa, sed id quod iram et odium concitet: νεκροῦ παρόντος μάρτυρος σαφεστάτου [972]. meminisse uos iubeo orationis primae Antiphontis: post δικαιολογίαν actor occupat rei argumenta et addit testimonium illud paternum religiosius quam ualidius. ut haec τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον sunt, ita apud Euripidem ex tali dispositione omnia commodissime explicantur. epilogus sub iudicis non actoris persona pronuntiatus Thesei iniustitiae simul accusantis et damnantis eo luculentius documentum est quo hoc ipso loco epilogus legitimus ad iudices directus expectatur. Hippolytus postquam in prooemio [983—991] ex artis praeceptis se commendauit, narratione omissa — iureiurando enim quidquid prodere uetitus est — primo castissimum se esse probat [991—1006], tum a patre certiora postulat argumenta [1008] non aliter quam in oratione quinta Antiphontis reus refutat aduersarios argumentum certum rogantes, reicit quae proferri posse fingit, denique pro testimonio iusiurandum profert, ut ille apud Antiphontem in eadem parte ad testimonium diuinum confugit, in fine quod pater pro grauissimo indicio ostenderat, ita ut potest debilitat: nouum igitur prodit exemplum τῶν πρὸς τὸν ἀντίδικον [1008–1035].

In Hecuba Polymestor narrando tantum accusat, respondet Hecuba omnibus artis remediis adhibitis. ceterum id notabile et artis Euripideae proprium rem ita institutam esse ut Polymestor etsi actor et priore loco dicens similior sit rei, Hecuba uero magis illum accuset quam se ipsam defendat. prooemio ita instructo ut actoris fidem iudici dubiam faciat [1187—1194], illum non Achiuorum sed lucri causa Polydorum necasse probat [1196–1207] — nihil erat quod narraret —, eum suspicioni doli mali ualde obnoxium esse interrogando ostendit — ecce τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον [1208-1216], qua parte mirae et inauditae aduersarii rationes esse dici solent —, adnectit opprobria acerrima, ὡς φανῇς κακός [1217], ut hoc certe loco iusta et legitima ἀντικατηγορία euadat [1217—1232]. denique iudicem audacter et increpans et blandiens alloquitur [1232—1237].

Summae artis oratoriae praeclara insunt exempla Oresti fabulae, ubi poeta senex et patriae calamitate publica et inuidia priuata qua poeta comici eum uexauere, perturbatus ita sane se gerit ut probari non possit, sed admirationem non sine misericordia summopere promereatur; tantam uim ingenii in moribus hominum depingendis, in uitae naturaeque humanae obseruatione, in affectibus concitandis praestitit. neque tam hoc in eo uituperandum fabulam Aeschylea sublimitate quasi sacratam ita esse tractatam quasi causa sit in foro et a causidicis agenda, sed eum ipsum curasse ut Aeschyli immemori esse nemini liceat. ne tamen longius aberrem, in certamine Tyndarei et Orestis ille filiae iniustae scelus nouo et immani scelere inuste punitum esse postquam non sine conuersione ad iudicem facta et loco communi de iudiciis capitalibus inserto probauit [491—525] et in fine, ut fit apud Euripidem, ad id ipsum rediit unde initium cepit, ad iustitiam et leges, subito ut nouum quid incipi appareat, in ipsius Orestis crudelitatem inuehitur, deinde iisdem fere uerbis quibus Hippolytus in eodem orationis loco utitur — cf. ἐν δ' οὖν λόγοισι τοῖς ἐμοῖς ὁμορροθεῖ [Or. 530] et ἓν οὐ λέλεκται τῶν ἐμῶν, τὰ δ' ἄλλ' ἔχεις [Hipp. 1021] — adnectit testimonium ex superstitione petitum quale eius partis quae

in ipsum aduersarium inuehe[illegible]is quam probandi causa dirigebatur. proprium fuisse compluria exempla hucusque se obtulere. epilogo iudicis admonitio et repetitio cum misericordiae commotione continetur [534—541]. Orestis de prooemio supra disputaui. in probatione quod argumentum olim Aeschylus adhibuit, Euripides debilissimum esse censuit, dignitatem paternam maternae esse anteponendam initio collocatum est. alterum ex matris adulterio desumptum caute adnectit, ita caute ut se impie egisse iterum confiteatur. postquam ita uiam sibi fecit, iam audacius effertur ad facti utilitatem publicam laudandam; tum demum matrem iure caesam esse audet proferre, ualidissimo argumento, patris manibus, in fine collocato. ex reo timido et senem uerito sensim pedetemptimque transiit in personam ultoris iuste audacis: iam satis fiduciae sibi parauit ut ultro quod ex artis praeceptis probatione peracta fieri debet, actorem petat [585]: σύ τοι φυτεύσας θυγατέρ᾽ ὦ γέρον, κακὴν ἀπώλεσάς με, antiqua et Atheniensibus bene nota Stesichori fabula in specimen nouissimae artis oratoriae commutata. additur exemplum, sic ut in oratione quinta Antiphontis exempla proponuntur; clausula hic quoque fit testimonio diuino. epilogo excitatur misericordia breui sed acuta antithesi; ultimam enim sententiam interpolatam esse nemo, opinor, dubitabit.

Haec sufficiant: Euripidi notam fuisse dispositionem illam, praecipue partem quam uel saeculo quinto magistri τὰ πρὸς τὸν ἀντίδικον appellabant, ipsamque huius partis antiquam et sollemnem formam colloquii cum aduersarii instituendi apud eum extare demonstrasse mihi uideor. Gorgiam igitur eius auctorem non fuisse uidimus; quis fuerit, nescimus nescibimusque. siquis tamen Thrasymachum fuisse conicere ausus erit, non obloquar. certe idem hic inuenitur inter Anaximenem et Euripidem consensus quo in aliis rebus quae ad artem oratoriam pertinent, Thrasymachum prodi Wilamowitzius feliciter diuinauit, neque abs me impetrare possum ne aptissime Thrasymacho affectuum inuentori adscribi contendam eius partis inuentionem quae praeter epilogum, qui saepe deest, apud Euripidem certe et in Gorgiae exemplari ipsa affectuum sedes dici debet. haec tamen non ea esse argumenta quibus certitudo uel certitudinis similitudo efficiatur, et ipse optime scio et uos firme tenere iubeo quippe qui uos abs me moneri solere memineritis ut Protagorae Pollionisue inuentores gloriosos siue fontium qui dici solent indagatores iuuenili studio nomina uana rimantes diligenter caueatis.

Vnum de Thrasymachi memoria restat atque id his quae modo exposui minus incertum. eum non rhetorem appellari debere, in quo munere post Tisiam illum quisquis fuit primus ni fallor se continuit Theodorus Byzantius, sed sophistam Wilamowitzius recte docuit. atque ut erat homo uitae peritus uitaeque in arte quoque totus deditus cum in Atheniensium ciuitate omnia tum temporis ad rem publicam referente uersaretur, naturam rei publicae sibi sumpsit in quam inquireret. quid profecerit, ut sciamus, factum est per Platonem. nam in primo Ciuitatis libro Thrasymachum ipsum, non alium quendam sub illius persona a philosopho peti inde concluditur quod ipse Thrasymachus describitur omniaque illa artificia desunt quibus philosophus se tecte pugnare aperte significare solet. docuit igitur Thrasymachus iustitiam legum esse obseruationem qua in re publicam Atheniensium opinionem secutus est; leges uero ab iis qui imperium tenerent, in illorum commodum constitutas esse constituique. quod facile obseruari in tribus illis rerum publicarum formis quae vel Pindarus [pyth. 2, 86] distinxit: imperii popularis leges populo

seruare quique ea uteretur ut bono, eum hominem probum sane, sed stultum esse; iniustitiam uero esse artem bene sibi consulendi, dummodo uim haberet et incepta ad finem perduceret. nihil enim iustum uideri nisi quod cum imperio fieret. eandem doctrinam nomine auctoris non allato a Platone in Legg. 4 p. 714 b sq. exponi post Blassium non adnotarem nisi ubi scire uellem a Platone cum haec refutaret, primo magistratus dictos esse legum reique publicae ministros [715 c]: τοὺς δ᾽ ἄρχοντας λεγομένους νῦν ὑπηρέτας τοῖς νόμοις ἐκάλεσα οὔτι καινοτομίας ὀνομάτων ἕνεκα, ἀλλ᾽ ἡγοῦμαι παντὸς μᾶλλον εἶναι παρὰ τοῦτο σωτηρίαν τε πόλει καὶ τοὐναντίον. quo modo Thrasymachus per doctrinam illam Protagorae rationes quibus ille libertatem populi Atheniensium legibus constitutam ad philosophiae ueritatem reuocabat, impugnauerit, hoc loco cum longiore egeat disputatione, explicare nequeo; satis habeo dicere longe diuersam eam esse ab illa quam illo tempore optimates et secuti et professi sunt Alcibiades Antipho Rhamnusius Thucydides historicus Callias Platonicus, id quod bene exposuit Alexander Chiappelli in docta sagacique commentatione de sophistis Graecis [Per la storia della Sofistica greca, Arch. f. Gesch. d. Philos. 3, 262 sq.]. illi enim postquam ex nobilitate, quam Dorienses φυάν dicere solebant, neque uirtutem neque uirtutis praemium, imperium, deriuari posse et populus Atheniensium statuit et Protagoras docuit, cum tamen imperandi et consuetudinem et cupidinem retinuissent, ad aliam quandam φύσιν confugerunt ut imperium sibi deberi probarent, ad uim ingenii innatam, qua qui ceteros uinceret, eum unum iustum esse dominum neque ulla lege ne ingenio uteretur, uinciri posse nisi contra naturae ipsius legem contenderunt. huius doctrinae unicus finis et cumulus tyrannis est uiri ingeniose improbi, qualis e. g. erat Dionysius Syracusanus; in Thrasymachea illa nulla pars ceteris praeferebatur neque ea minus apta erat tyranno cum omnes oppressisset quam plebi optimates diuitesque uexanti, Atheniensibus sociorum dominis [cf. Cleonis uerba Thuc. 3, 37, 2 et Plat. rep. I p. 351 b] quam sociis perfide rebellibus [cf. Mytilenaeorum oratio Thuc. 3, 12]. quamuis improba enim sit, natam eam esse ex acuta rerum publicarum obseruatione quiuis concedet, cuius rei nullum firmius testimonium est quam quod a uiro optimate et acerrimo imperii popularis inimico adhibita est ut rempublicam Atheniensium a populo bene constitutam esse demonstraret cum omnes leges quamuis a bonis improbatae populi imperio utilissimae essent neque aboleri uel grauiter mutari possent nisi huius ipsius imperii periculo. quem libellum quod Rudolfus Schoell [Die Anfänge einer polit. Litter. bei d. Griech. Festrede i. d. Sitz. d. bayer. Akad. v. 15. Nov. 1889] nullam aliam ob causam conscriptum esse sanissimo iudicio posuit quam ut ipsa rei publicae natura cognosceretur, id sophistae cuidam deberi apparet qui partium factionumque consilia et inuidias ad legem quandam in rei publicae natura sitam reuocandas esse docuit: aut ualde fallor aut nobilis ille Atheniensis ut libellum componeret, commotus est Thrasymachi doctrina. num in sermone quoque et elocutione Thrasymachi exemplar et praecepta secutus sit, dolendum est iam discerni non posse.
